



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia**

Tribus Tomis comprehensa

Opuscula Spiritiva - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae Christianae. III. Manuctio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De Sacrificio Missae. VI. De Discretionem Spirituum ... Operum Eminentiss. Cardinalis, Tom. I

**Bona, Giovanni**

**Parisiis, 1677**

§. 19. De Corona Domini

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9969**

IV. In decursu cujusque decadis ejus Mysterium pie cole, & absoluta decaderenova affectus, & pete à Christo, atque ab ejus Matre remissionem peccatorum, & virtutes, quæ in eo mysterio magis elucent. Post ultimum verò *Ave Maria* cujusque decadis dic semel *Gloria Patri*. In fine autem Rosarii, sive integrum illud recites, sive tertiam ejus partem, Litanias B. Virginis recitabis cum Antiphona *Sub tuum præsidium*, & collecta *Defende*, vel *Concede nos*: Proponesque Christo, & Matri necessitates, & misérias, quibus premeris, atque earum remedium petes, adferendo pro causa & titulo, gaudium, dolorem, vel gloriam, quibus in propositis mysteriis fuerunt affecti. Demum concludes his versibus, *Laus Trinitati fulgida, Patri, Nato, Paraclito: Laus Virgini Deipara & nunc & in perpetuum. Amen.*

V. Post recitationem discussio obiter successu, dole, vel gratias age; & propone deinceps ferventius recitare. Tum piissimæ Matri obsequium tuum perficiendum, Filioque offerendum commenda juxta præfixas intentiones. Porro hîc notandum, quod quamvis mysteria Rosarii ad quindecim reducantur, quidam tamen totam vitam Christi, & Mariæ in centum quinquaginta articulos dividunt pro numero Salutationum Angelicarum, ex quibus Rosarium constat; propositos articulos singulis inferendo, modo supra explicato: cujus exemplum apud Ludovicum Blossum reperies, itemque in Paradiso animæ Christianæ, & in exercitiis Joannis Justi Lanspergii.

#### S. XIX. De Corona Domini.

**H**anc Coronam ad honorem Salvatoris nostri Jesu Christi, & triginta trium annorum, quibus in terris vixit, primus adinvenit B. Michael Florentinus Eremita Camalduensis; quam Summi Pontifices Leo X. Gregorius XIII. & Sixtus V. approbarunt. Constat triginta tribus Dominicis orationibus, & quinque Angelicis Salutationibus: & sic eam recitabis.

*Deus in adiutorium. Gloria Patri. Domine Iesu Christe, Fili Dei vivi, concede mihi, ut toto cordis affectu, pleno desiderio, & animo sitiendi possim ad te aspirare, ac in te solo respirare, totoque spiritu, & visceribus meis ad te solum, qui es beatitudo mea, anhelare. Scribe, suavissime Iesu, sanguine tuo pretioso vulnera tua in corde meo, & concede, ut eorum memoria semper in eo impressa maneat, & omnis creatura mihi vilescat. Hanc autem coronam in piissimum cor tuum benignè suscipe; eam enim tibi offero ad honorem, & gloriam tuam, in memoriam annorum tuorum, vitæque tuæ, & passionis acerbissima: ut meipsum excitem ad perfectum amorem tui, mihi que & aliis, pro quibus orare debeo, bona gratiæ, & gloriæ obtineam, te prestante, Deus meus, qui cum Patre & Spiritu sancto vivis, & regnas per omnia secula seculorum. Amen.*

Post hanc orationem dices semel *Ave Maria*, & decies *Pater noster*: deinde secundo *Ave Maria*, & iterum decies *Pater noster*: postea tertio *Ave Maria*, & decies quoque *Pater noster*: Tum quarto *Ave Maria*, & ter *Pater noster*: demum quinto *Ave Maria*. In prima decade meditaberis Christi actiones ab ejus nativitate usque ad annum duodecimum: in secunda à duodecimo usque ad trigésimum; in tertia à trigésimo usque ad mortem. Dum postremo ter dices *Pater noster*, considerabis ejus descensum ad inferos, Resurrectionem, & Ascensionem. Cum verò dices primum *Ave Maria*, B. Virginis primum dolorem meditaberis, quando audivit à sancto Simeone, & tuam ipsius animam pertransibit gladius. In secunda cum Filium amisit: in tertia cum audivit eundem à Judæis captum: in quarta cum vidit cruci affixum: in quinta cum eo caruit in triduo sepulturæ.

Oratio post Coronam. *Benignissime Domine Iesu Christe pietatem tuam supplici devotione deosco, ut applicare mihi digneris merita tua, & beatissima Matris tuæ in quorum unione offero tibi hanc coronam, quam modo recitavi. Hac merita obtineant mihi remissionem peccatorum, sintque tibi in*

gratiarum actionem pro omnibus beneficiis, quibus me cumu-  
lare dignatus es. Pone, Domine, passionem & mortem tuam  
inter iudicium tuum & animam meam, nunc & in hora  
mortis meae, & mihi largiri digneris gratiam tuam, & do-  
num perseverantiae, Ecclesiae tuae pacem, & concordiam,  
vivis veniam & requiem defunctis. Qui vivis & regnas  
Deus per omnia secula seculorum. Amen.

§. XX. *Affectus Anima amantis Deum.*

**D**omine Deus, qui lucem habitas inaccessibilem,  
principium omnium, & ultimus finis, qui me  
creasti ex nihilo, constituisti mihi terminos vitae hujus  
mortalis, quos praeterire non potero, ut amem te & ser-  
viam tibi, donec ad aliam meliorem vitam assumas me,  
in qua tecum per omnem aeternitatem beatus sim. Domi-  
ne Deus meus, ecce pronus & supplex adoro te, & subji-  
cio me tibi usque ad imum nihili mei; secundum infini-  
tam, & interminabilem distantiam tui a me: tu inquam,  
qui solus & omnia es, a me qui ex nihilo, & nihil sum  
coram te. Laudo, & benedico te fontem omnium bono-  
rum, & quia vis amari a me, & cor meum avidissime po-  
stulas, illud tibi totum cedo & dono, ut jam meum non  
sit, sed tuum cor, nihilque mei, aut sui amoris habeat, sed  
tantum tui: imò jam non ego amem te, sed tu ipse te ames  
corde meo, jam non meo sed tuo. Ama te illo ardentissi-  
mè, Creator meus, & omne bonum meum, ama te,  
quia dignus es: utere illo ad omne arbitrium tuum, post-  
posito omni arbitrio meo, quod in tuum transfero, ac  
tuae prorsus voluntati trado, permitto & resigno.

11. Sed cur tantopere cor meum desideras Deus meus?  
quia nimirum pro nihilo habes ore & lingua diligi, si cor  
tecum non sit. Hoc est quod vis, & petis, nec quem-  
quam admittis in partem possessionis ejus. Ideo praecipis  
mihi, ut convertar ad te in toto corde meo, ut toto corde  
te quæram, toto corde te diligam te sequar & obediam  
tibi. Dignus enim es omni amore, quia omnis bonitas